



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Nazarius & Celsus MM. 28. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

470 VITÆ SANCTORUM. 28. Iulii.  
quem heri unà cum fratribus, quòd  
*Christo* militarent, balteo spoliasset. Ob-  
stupuit ad hæc urbis Antistes, & Mal-  
chum ad montem secutus è ruderibus æ-  
neas laminas, cum his rem omnem in  
lucem profert. Adebat ipse Imp. Theo-  
dosius, quo spectante beati juvenes eo-  
dem loco longius jam dormituri oculos  
morte clauerunt: sed cum sic mortuis  
etiam hæresis est mortua. *Ex variis apud  
Raderum in Aulâ S.*

*Cùm te torpore, acedia, vel tædio affici  
sentis, noli propterea desistere à studio spi-  
rituali; sed juvantis require manum, tra-  
hi te obsecrans, donec denuo suscitante  
gratiâ factus promptior alacriorque curras.*  
S. Bern. serm. 22. in Cant.

SS. NAZARIUS & CELSUS MM.  
28. Iulii.

**H**Os etiam flosculos barbarus Neronis  
gladius demessuit. Sed tamen san-  
guine suo rigati vivunt illi etiamnum in  
manibus tuis. Utinam & odorem virtu-  
tis sentias! Audi saltem. Spinæ rosam  
esse proximam ajunt, id quod N A Z A-  
r i u s probat ex Iudæo patre, sed matre  
Christianâ genitus. Anceps diu in ut-  
rius religionem pedibus iret, demon-  
stravit tandem plus matris se bibisse,  
fontique sacro admotus à Lino Pont.  
Mediolanum abiit. Ibi non multo tem-  
pore

28. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 471  
pore patrimonium omne in egenos effu-  
dit, cumque vinclis pro Christo animum  
faceret, mercedem nobilem magnique  
martyribus astinamatam fustuarium acce-  
pit. Sub hæc monitus à defunctâ matre  
in Gallias contendit. Hic à nobili matro-  
nâ nobilissimum puerulum C E L S U M  
accipit inter borias artes educandum.  
Quantam, Superi! indoles pulchra dis-  
cit probro Magistro usa. Neronis imperio  
ad tribunal uterque raptatur. Dubito an  
Magistrum, an discipulum plus laudem.  
Ille pedum calcibus affigitur, nec tamen  
sibi, sed animulo suo C E L S O timet.  
Hic virgis atrocem in modum cæditur,  
nec tamen sibi, immo oculo suo Magistro  
N A Z A R I O ingemiscit. Mox uterque  
illatam Christo injuriam in Diis ulci-  
cuntur, rectiusque hos humili affligunt.  
Mari deinde velut prato inambulantes  
vidisses. Mitto cætera. N A Z A R I U S  
cervicem gladio præbuit. Idem C E L-  
S U S fecit, tantillus discipulus Magistro  
tanto non impar. Ex Lippeloo.

*Quod loquimur, dictamus & scribi-  
mus, de vita nostræ parte prætervolat:  
qui dudum infans, subito puer, repente  
juvenis, & usque ad senectutem per spa-  
tia mutatur incerta, & antè se senem in-  
telligit, quam juvenerum non esse miretur.  
S. Hieron. in c. 40. Is.*

Gg 4

S. O-